

re a duabus inimicissimis lacerabantur factionibus, quæ et-
 si non multo ante erant in terra Italia ortæ, omnes tamen
 alias & virtute armorum & potentia longe anteibant.
 Sforcia inter hos motus ex hibernis profectus, in Um-
 briam primo transiit; hic miro rerum successu Turdeto,
 Ameria, & aliis plerisque locis subita deditione receptis,
 trajecto Tyberi, omnia metu & trepidatione complens, in
 Viterbiensi agro confedit. Cives illum commeatu juve-
 runt, adhortatique dicuntur ad Pontificis partes, quas ille
 Eugenio reconciliatus sequi cœperat, adversus Brachianos
 hostes tuendas. Habebat tum castra Picininus ad Faliscum
 montem: quod ideo magis a Sforcia properatum credibi-
 le est, ne ille cum Nicolai copiis, quæ circa urbem tunc
 erant, suas per occasionem jungeret: malebat utique cum
 solo pugnare, si dimicandum fuisset, quam de summa rei
 cum tota Brachiana factione (quod pene accidit) decer-
 nere. Interim Eugenius, Brachianis opibus Columnensique
 familia annitente, pontificia domo ejectus, in Hadriani
 molem se trepide recepit: mox vero secundo Tyberi inter
 tela ex utraque ripa in eum coniecta Hostiam delatus, Flo-
 rentiam abiit. Eo ex urbe pulso, Brachianus victor ad
 Sforciam opprimendum animum adjecit. Ille, Michaelē
 Attendulo omnibusque Sforcianis viribus in unum contra-
 ctis, pene invictum comparaverat exercitum. Picininus &
 Stella inter Viterbium & Rispampanum castra contulere:
 eoque & Sforcia copias admovit: quo accidit ut exiguo
 intervallo omnes duarum illustrium factionum opes (quod
 nunquam antea contigerat) bello decreturæ coiverint.
 Certus erat Sforcia acie dimicare, si pugnae copia ab hoste
 fieret. Et jam Vetrallensem saltum peditum robore infe-
 derat: apparebatque, Brachianos ingentem eo die cladem
 accepturos fuisse, nisi Urbanus Dertonensis, Philippi lega-
 tus, intervenisset: qui medius inter utramque aciem voli-
 tans, cum lachrymis nunc hos nunc illos orare, obtesta-
 rique per Philippi nomen, *Ne tantum nefas committe-
 rent: ne obliviscerentur, se sub uno Principe stipendia fe-
 cisse, sub Philippo coalescere & florere cœpisse. Acies ipsas,*
si non

*Eugenius
 Pontifex ex
 urbe pulsus.*